



78 p. 151. seq. R. MORALISTAS sæpe in vindican-  
dis Injuriis nimium laxare conscientias, atque eò non  
rarò progredi, ut alapam imò etiam maledicas voces  
& injurias cæde præveniri, atque si aliter injuria ar-  
ceri nequeat, contumeliosum occidi posse dicant. vid.  
L. Montaltii Epist. Provinc. 7. & Zigler. Not. in Grot. l. 2.  
F. B. & P. c. 1. §. 10. Ubi ex Moralistarum Scriptis quæ-  
dam in hanc rem collecta reperiuntur. THEOLOGI  
verò qui repercussionem concessam esse putant, eam  
intelligunt, quæ fit statim & in momento, non *ad su-  
mendam vindictam, sed ad vitandam ignominiam.*  
Balduin. lib. 4. Cas. Consc. c. 1. Cas. 15. Quanquam igno-  
minia ista etiam non percussione vitari, atque à  
Magistratu facile aboleri possit, asperrimâ pœnâ læ-  
denti imposta, eodemque adactò, ut honoris signa  
læso publicè exhibeat. Præterea datur casus, quo,  
quæ in alapa inest ignominia, percussione non de-  
letur, ut, si homo sordidus & vilis conditionis virum  
honoratum feriret. Ibi namque è dignitate honora-  
tioris non esset, multò minus læso satisfaceret, si ala-  
pam alapâ tantùm remuneraret.

§. XI. *Questio tertia. An judicialis injuriarum  
persecutio pugnet cum Christiana patientia?* R. Si con-  
tentio in foro civili fiat animo vindictæ cupido, vi-  
rulento, & propter conceptum odium æstuante,  
nullum dubium est, pugnare istiusmodi persecutio-  
nem cum patientia Christiana. Quod si verò absit  
vindictæ cupiditas, christiana patientia non obstat,  
quò minus injuriis laceffitus rem ad judicem deferre  
possit. Neque enim vitæ Christianæ regulæ politias  
abo-

*Judicialis  
injuria-  
rum perse-  
cutio non  
pugnat  
cum Chri-  
stiana pati-  
entia.*